



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

De S. Solenni Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)



ciues pro Episcopo contentio vertebatur. Cumque partes inter se diuisae, diuersos eligere vellent, magna collisio erat populi. Residentibus tamen Episcopis die Domino, mulier quaedam velata atque Deo deuota audenter ad eos ingreditur, quae ait: Audite me, sacerdotes Domini, scitote enim quod non est in hisbeneplacitum Deo, quos hi ad sacerdotium elegerunt. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi prouidit Antistitem. Itaque nolite conturbare, neque collidere populum, sed patientes estote parumper, Dominus enim nunc dirigit qui regat Ecclesiam hanc. His itaque mirantibus haec verba, subito Presbyter Rusticus nomine, qui erat ex ipsa urbe Aruernae dioecesi, aduenit. Ipse autem iam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso, ait: Ecce ipsum, quem elegit Dominus: ecce qualem vobis Dominus Pontificem destinauit: hic ordinetur Episcopus. Haec ea loquente, omnis populus, contentione postposita, clamauit dignum ac iustum esse. Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco Pontificatus honorem populo gaudente suscepit.

S. Rusticus diuinitus in eius locum subrogatur.

INVENTIO CORPORIS S. SOLENNIS EPISCOPI, ET QVAEDAM EIVS MIRACVLA, PER D. GREGORIVM TURONEN. in gloriam Confessorum cap. 21.

SURIUS

g. bar  
K. 10. 10. 10.  
RVITI  
5

Septēb. 25.



T licet de Turonica vrbe aliqua iam scripserimus, tamen quoniam nuper beati Solennis sepulcrum adspeximus, filere nequiuimus, quod apud Malliacense monasterium comperimus in cacumine montis constitutum, & ab antiquis vallatum aedificijs iam dirutis. Nam ferunt quod in eo loco, cum crypta adhuc haberetur occulta, & nulli Christianorum locus ille esset reuelatus, per singulas Dominicarum solennitatum noctes ab habitatoribus lumen cernebatur accensum, sed nullus sciebat quid sibi hoc vellet mysterium, tantum suspicio detinebat homines aliquid ibidem retineri diuinum. Intraea aduenerunt duo energumeni ex basilica sancti Martini, qui collisis in se palmis clamare coeperunt, dicentes: Hic requiescit Solennis beatissimus in crypta abdita. Reserate igitur sepulcrum amici Dei. Quod cum repereritis, velite egerite, lumen accendite, cultumque debitum ei exhibete. Erit regioni huic salubre, si quae loquimur adimpleueritis. Et haec dicentes cum clamore magno, effodere telurem ungulis nitabantur. Tunc videntes incolae quae gerebantur, accepto sarculo effodientes aperuerunt cryptam, in qua per seriem graduum descendentes, reperiunt sepulcrum magnum, de quo testabantur illi adhuc mente infirmi, hoc esse sepulcrum Solennis beatissimi. Qui mox sensu discesserunt recepto. Post haec autem coeperunt ad eum diuersorum morborum aegroti confluere, & accepta sanitate redire incolumes. Sed & Lithomeris urbis ipsius indigena, cum a quartani typi aegrotatione fatigaretur, acceptis ex hospitio cereis, illisque manu propria per totam noctem ibi detentis, vigilias celebrauit. Facto igitur mane, rediit ad propria, nec ultra ab hoc morbo frigorationis, vel contractionis vilius pertulit grauitatem.

Lumen videtur circa sancti viri sepulcrum.

Eius inuentio.

Miracula ad sepulcrum eius.

VITA SANCTI EXUPERII EPISCOPI TOLOSANI PER D. HIERONYMVM PRESBYTERVM scripta. Ex epistola D. Hieronymi ad Rusticum monachum, in fine.

28. Septēb.



SANCTVS Exuperius Tolosae Episcopus, viduae Saraptesis imitator, esuriens pascit alios: & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena: omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Qui auaritiam eiecit e templo: qui absque funiculo & increpatione, cathedras vedentium columbas, id est, dona sancti spiritus, mensasque subuertit mammonae, & nummulariorum aera dispersit, ut domus Dei, domus vocetur orationis, & non latronum spelun-

Matth. 21.

S. Exuperij in pauperes liberitas.